



Vilhelmus apud Saxones honesto loco natus, à pueris armorum studia dilexit, & regū ac principū castra secutus, magnam rei bellicæ notitiam sibi acquisiuit. Id cum Ioannes Fridericus elector Saxonix cognouisset, hunc Vuilhelmū pedestribus copijs præfecit, & ordines ducere iussit. Huius uiri fortitudo in bello Smalkaldico 1546 plurimùm emicuit. Nam elector eius opera usus, & ex Sueuia domum reuersus suam ditionem omnem, prius à Mauritio occupatam, recuperauit, atq; hosti proprias regiones ademit, ita ut ille Cæsaris auxilium imploraret. Itaq; & Elector suum exercitū au-

gere, atq; per Thumsernum apud ciuitates maritimas nouum militem colligere statuit. Interea dum hæc Vuilhelmus magna diligentia agit, Cæsar opportunitatem nactus, electorem inuasit & superauit. Sunt enim multi qui putant, Thumserni absentiam Electori plurimùm obfuisse, et Cæsareanis profuisse. Vnde cū Thumsernus apud Bremenses multa fortiter egisset, & principis sui captiuitatem intellexisset, suas copias dimisit, & commodiorem pugnandi occasionem expectauit, præsertim cum à Cæsare ea lege in Saxonica pace comprehensus esset, si copias intra mensem dimitteret. Ioan. Sleid.